

aut errantes siti deficient, fontium inscitia: aut uix redeunt, labore defatigati. **A**
 Ob hanc causam Arabes ea loca incolentes, cum bello expugnari nequeant,
 liberi uiuunt: neque ulli unquam externo regi, non Assyrio, non Medo, non
 Persæ paruerunt. Ipsi Macedonum reges nunquam eos subigere quantum
 uis magnis copijs ualere. Est in regione Abataorũ saxum natura admoudum
 munitum, unico angustoque ascensu euntibus patens, paucis custodibus egēs:
 stagnum quoque ingens, ut quod longitudine quinquaginta, latitudine sexaginta
 ferme stadia cõplectatur, asphaltũ producens, ex quo nõ paruũ uectigal per
 cipit. Eius aqua odoris est pessimi, atque amari. quo fit ut neque pisces producat,
 neque aliquod aquatile animal. Et cum plures dulcis aquæ fluuij in illud decur
 rant, nequaquam tamẽ aquæ natura mutat. Asphaltũ stagni medietas plurimũ an
 nuatim gignit: quãdoque ad tria iugera, quãdoque ad duo. Unde & circumstan
 tes barbari maiorẽ partem taurum, minorẽ uitulum appellant. Plenus asphalt
 to lacus procul aspicientibus insula apparet. Cum asphaltum lacus est egestur
 rus, palam ante uigessimũ & secundum diem apparent signa. Etenim circa
 stagnum stadij pluribus fœtor a uento excitatus, proprium argento auroque
 & aeri colorem aufert: uento iterum reflante restituitur, propinqua loca ex ca
 lore fœtoris lacus corrupta, & morbos asserunt incolis, & breuioris uitę red
 dunt. Fertilis est ea palmis regio, quæ fluminibus aut aquis fontium rigatur.
 Nascitur & in quadam eius conualle ad multa medicis utile balsamum, maxi
 mum uectigal, cum nulla orbis pars alia eam plantam producat. Ab hac deser
 ta aridaque patria uicina Arabia adeo differt, ut multitudine fructuum, cætera
 rumque rerum que in ea nascuntur, felix nominetur. Calamo enim, & eo quem
 appellant schinum, rebusque alijs quæ aromata dicuntur, plurimum abundat.
 folijs præterea odoris suauissimi, & quod ex arboribus stillat gummi. myrrhã
 etiam, & dijs gratissimum, perque uniuersum orbẽ diffusum thus extrema Ara
 biæ ferunt: colium insuper, caliam, cinamomum, & alia eiusmodi plura. Her
 bæ uerò & arbuscula odorifera adeo illic abundat, ut quæ cæteri raro super deo
 rum altaris ponant, illi pro lignis in furnis comburant: hisque quæ apud a
 lios habentur rara, Arabes seruatorum domi lectos sternant. Cinamomum uti
 litate excellens, ad hoc resina, mirisque odoris terebinthus, apud Arabes nascun
 tur. Montes non solum abietes ac populos proferunt, sed cedros, & quem uo
 cant baraton. plurimas uerò alias nutrit plantas, suauem odorem transeuntibus
 inspirantes. Natura id soli accidit, ut dulces in eo odores orti ferat. Nam
 quibusdam in locis effossa terra, aliqua reperitur suaueolentes glebæ: quæ
 ueluti metalla fusæ, lapides ingentes fiunt, ædificandis domibus apti. In eos cũ
 guttæ aquæ pluuie cadunt, ita liquefiunt ex humiditate iuncturæ lapidum,
 commiscenturque inuicem, ut unicus murus appareat. Effoditur in Arabia au
 rum, quod non igni decoquitur, ut apud alios consuevit: sed euestigio effos
 sum, nucibus id castaneis simile reperitur. colore est ita lucido, ut preciosos la
 pides ab artificibus auro inclusos, splendidiore reddat. Pecorum adeo fertilis
 Arabia est, ut nationes plurimas uitam pastorum ducentes enutriat. Frumen
 to non eget, multarum rerum ubertate opulenta. Pars Syria cõtermina, mul
 tas uariasque nutrit feras. Nam & leones & pardali multo plures maioresque in
 ea que in Libya reperiuntur: præter hos qui Babylonij uocantur tigres. Feri &
 animalia naturæ duplicis, mixta specie: quorum aliquos appellant struthiocame
 los, qui ex struthione cameloque constant: unde & nomen trahunt, magni
 tudine ad cameli nascentes modum. Capite sunt pilis minutis, oculis grossiori
 bus, nigrisque, non dissimili forma & colore camelis, collo oblongo, rostro bre
 ui atque acuto, elati mollibus pennis, duobus cruribus, pedibus ungula fissã: ut
 terrestris simul uolatilisque animal uideatur. propter grauitatem neque altius ex
 tolli, neque uolare potest, sed uelociter terra graditur, persequuntur illum equi
 tes: quos sapius lapide pedibus ueluti funda iacto ferit, cum effugere nequit,